SYLLOGISMUS PRODROMUS.

QUO UNO UNICO 7

&

Refutatur libellus, cui titulus

REFUTATIO PRODROMA &c.

CONTRÀ

BREVE MEMORIALE HOLLANDICUM NUPER EDITA.

ET

IPSE LIBELLI AUTOR

demonſtratur, & convincitur

Janſenianæ quintæ damnatæ propoſitionis manifeſtè reus

Anno. M. DC. LXXXXIX.

SYLLOGISMUS PRODROMUS
QUO UNO UNICO
E T
Refutatur libellus, cui titulus
REFUTATIO PRODROMA &c.

§. I.

Refutatio prodroma, non est *Refutatio* Brevis Memorialis hollandici.

AUtor ego *Brevis Memorialis* non sum: sed neque in Hollandia degui, nec Hollandiam vidi umquam: quod satis est, vidi & legi *Breve* illud *Memoriale*; atque in illo statum ac progressum Jansenismi hollandici, procul atque eminus, licuit intelligere. Indigna quidem multa, & parum catholica ab istis hominibus dicta, gestaque in *Memoriali* illo referuntur: nihil tamen, ut homines probè novi, ab ingenio eorum, aut doctrina reperi alienum: imò quæ & alibi fieri ab illis, & scribi ubique ac doceri scio; quæque ego ipse coram ac præsens dici quotidiè audio, gerique video; faciliorem hæc omnia mihi fidem fecerunt, quam ut deberem dubitare. Nunc autem plane confirmor, dum video *Refutationem prodromam* nihil quidquam eorum, quæ ibi tot ac tanta referuntur, speciatim refutare: refutare autem? imò nec dictum ex iis ullum, nec factum etiam aliquod singulare attingit. Atqui hoc profectò facere unum debuit, & debuit facere ante omnia, ut aliquid faceret, & verè *Refutatio* esset; neque enim satis est vagè, ut fecit, & generaliter uno simul omnia verbo in dubium velle vocare.

Cur ergo id non fecit? rationem pro se reddit Autor non unam; 1. *quia*, inquit pag. 3. *diversorum adhuc factorum me fugit notitia*: bella me hercule & honesta ratio; accusatorem refutaturus venit, & de causâ reorum suorum, ac crimine notitiam se habere negat. 2. *quia ista talium factorum discussio in se molestior* &c. frigida hæc est excusatio & nimium commoda. 3. *quia minoris etiam ad erudiendum populum frugis*: quasi ibi de erudiendo populo agatur, & non potius de informandâ Româ: certè ad tollendum scandalum, ad tuendam accusatorum causam, ad *Breve Memoriale* refutandum, & ut *Refutatio* denique verè esset *Refutatio*, erat hoc prorsus & unicè necessarium.

§. 2.

Refutatio prodroma non tam *Refutatio est* quam *Confirmatio* Brevis Memorialis Hollandici.

Breve Memoriale pag. 5. dixerat, *doctrinam* illorum, quos accusabat, *universam revocandam esse, ad duo præcipua capita.* 1. *DEUM NON VELLE SALVOS OMNES HOMINES.* 2. *CHRISTUM NON PRO OMNIUM HOMINUM SALUTE ESSE MORTUUM*: sivè, *DEUM NON VELLE SALVOS NISI SOLOS PRÆDESTINATOS, ET CHRISTUM PRO SOLORUM PRÆDESTINATORUM SALUTE ESSE MORTUUM.*

Circa hæc duo accusatæ doctrinæ capita *Refutatio prodroma* tota versatur: certe aliud nihil ex professo, ut loquimur, toto libello agit: sed quod mireris, neque satis capias, ita agit, ut neutrum dictæ accusationis caput aut neget, aut refutet; sed utrumque volens lubensque admittat, ac solemni veluti fidei Jansenianæ formulâ jactanter etiam profiteatur. *Memoriale* reos agit, quòd doceant, nec Deum *omnes omnino* homines velle salvos, nec Christum pro *omnium omnino salute*, sed pro salute *dumtaxat Prædestinatorum* mortuum esse; & addit *Memoriale* ead: pag. 5. *mirum dictu esse, quibus illi hic utantur artibus, quæ adhibeant pigmenta, ut nempè videri possint, quæ docent, non docere* &c. intereà *Refutatio* tam scrupulosa non est, aut timida, sed sine ullâ arte, sinè pigmento ullo, utrumque crimen rotundè agnoscit; & toto libello pugnat pro utroque, id ipsum confirmans quod *Memoriale* dixerat; ut adeò libellus iste, veriori ex ipsa re nomi-

nomine, ac titulo *Confirmatio epidroma* seu *postdroma* dici potius possit, ac debeat dicti *Memorialis*, quam *Refutatio prodroma.*

§. 3.

Refutationis Autor Accusatos in Memoriali non defendit, sed se accusat ipsum, & condemnat.

Quid ergò deniquè fecit Refutationis prodomæ Autor, qui quod debuit facere, non fecit? quod nempè viatores solent, qui cum à viâ suâ deflectunt, errare incipiunt; & sæpè in contrariam viam abeunt; nam qui alios, quod facere debebat, non purgavit; se commaculavit ipsum; nec accusatos in *Memoriali* defendit, sed causam ipse suam prodidit, ex infideli suorum clientium, quos deserit, patrono, sui ipsius turpiter factus accusator. Nec multis argumentis opus, ut id probem; uno unico syllogismo rem totam conficio & Autorem prodromum quintæ Jansenianæ, a duobus Pontifitibus damnatæ propositionis, manifestè reum esse evinco; quod ut dilucidè fiat, sit antè oculos, cum Censurâ suâ, Propositio damnata.

Quinta propositio Janseniana

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Apostolica duorum Christi vicariorum Innocentii X. & Alexandri VII. in eam Censura.

Falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, UT CHRISTUS PRO SALUTE DUMTAXAT PRÆDESTINATORUM MORTUUS SIT; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Observandum 1. Præscindi hic & nunc à me tantisper, an hæc quinta Propositio, & damnatus ejus sensus, habeatur in libro Cornelii Jansenii, atque adeo tantispèr hic & nunc præscindi a famosâ *quæstione facti*; unde

Observandum 2. Non considerari à me hic & nunc, in illâ propositi-

positione nisi purum dogma, aut, si mavis, (cum agatur de morte Christi & de seriâ, quam moriens & sanguinem Patri offerens habuit Christus, intentione) *quæstionem facti* sed *facti revelati*: atque his positis,

Observandum 3. Quod Theologi omnes, etiam Janseniani, definitiones Pontificum in decidendo dogmate, & declarando facto revelato, agnoscant & admittant esse infallibiles; saltèm (ut omnem denique captiosis hominibus viam occludamus) si ad definitionem Pontificum acceptatio Ecclesiæ, quod in hoc casu factum est, & approbatio accesserit.

His breviter observatis præsto fidem, quam promisi; & venio ad argumentum.

Syllogismus Prodromus, qui unus unicus Autorem *Refutationis* concludit & convincit Jansenianæ quintæ manifestè reum.

Omnis qui hæc duo docet; 1. Quod *Christus pro salute dumtaxàt Prædestinatorum mortuus sit.* 2. Quod, *Semipelagianum sit dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, reus est, quintæ propositionis Jansenianæ, etiam in eo sensu, in quo a duobus Christi vicariis infallibili judicio *impia, blasphema*, & *hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Atqui Autor *Refutationis Prodromæ*, hæc duo docet; 1. Quod *Christus pro salute dumtaxàt Prædestinatorum mortuus sit.* 2. Quod *semipelagianum sit dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Ergo Autor *Refutationis Prodromæ*, reus est quintæ propositionis Jansenianæ, etiam in eo sensu in quo, a duobus Christi vicariis infallibili judicio *impia, blasphema* & *hæretica* declaratur, & *uti talis damnatur.*

Consequentia legitima est, & in formâ benè scholasticâ invictè concludit.

Assumptum seu *Major* syllogismi ex ipsa quinta propositione & apostolica ejus censurâ, ac tribus præmissis observationibus, clara est & evidens, ut consideranti patebit.

Subsumptum seu *Minor* syllogismi, probari debet: & cum duabus partibus constet, pro singulis seorsim probabitur.

Probatur

Probatur prima Pars; quod nempè Autor *Refutationis prodromæ* doceat, quod *Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit*, probatur ex toto passim ejus libello; nam id paginis inculcat omnibus, non modò in posteriori parte, ubi id ex professo agit; sed etiàm in priori, ubi contendit, *Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed solos Prædestinatos:* diligenter enim notandum est, quod hæc Dei voluntas salvandi *omnes omnino* homines, aut *solos Prædestinatos*, ità connexa sit cum morte Christi pro *omnibus omnino* hominibus, aut pro *solis Prædestinatis*, ut apud omnes Theologos, etiam apud ipsum Autorem prodromum, alterum ex altero necessariò consequatur; & voluntas salvandi in Deo & intentio in Christo moriente aut ampliari simul debeant ad *omnes omnino* homines, ut Pontifices, & nos facimus; aut simul restringi ad *solos Prædestinatos*, ut cum Janseniò facere Autorem prodromum jam contendo: & brevitatis causâ, duobus potissimum locis, quæ ex pluribus præcipue seligo, planum facio; & ad oculum demonstro.

Ac 1. quidem observo, aliud esse in hac quæstione; saltem ut hodiè illa controvertitur, dicere, *Christum pro omnium omninò hominum salute mortuum:* aliud dicere simpliciter, *Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse*, sic ut non addatur Tò *pro salute*. Observo 2. quod licet hæc propositiò; *Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est*; non sit in se & simpliciter eadem cum hac propositione; *Christus non est mortuus pro salute omnium omninò hominum*, tamen duæ hæ propositiones, ut nunc inter contrarias partes fervet famosa hæc controversia, eôdem redeant: & quidem apud adversarios, negantes, Christum vel pro unius reprobi salute mortuum esse, eôdem redire debent. His præviè observatis venio ad ipsa formalia verba Refutationis.

Primum locum, quo manifestè docet, *Christum non esse mortuum pro salute omnium omnino hominum*, describo ex pag. 15. ubi, cum varios sensus attulisset, sed improprios illos, (ut vel ipse Jansenius fatetur l. 3. de gratia Christi cap. 20 col. 382) quibus aliquo modo dici possit Christus pro salute omnium omnino mortuus: 1. Quia mors Christi sufficiens in se fuit lytram ad redimendos omnes omnino. 2. Quia moriturus Christus unam omnium naturam suscepit. 3. Quia Christus desiderasset quidem pro omnibus omnino offerre, si æterno Patri suo placuisset, ita demum confidentèr & veluti ex tripode pronuntiat.

nuntiat. *At si Christus inculcetur pro omnium omnino individuorum hominum salute mortuus, ut illis absoluta voluntate impertiretur sufficientes & necessarias ad salutem gratias, quas majores ætate in manu sua positas virtute liberi arbitrii irritas aut ratas efficiant ...... id nos profecto tamquam errorem pestiferum, jam dudum ab ecclesia proscriptum ac profligatum, totâ animi aversatione aspernamur* &c. Quid clarius dici aut confidentius potest? Nam per observationem 2., negare, quod *Christus pro salute omnium omnino hominum mortuus sit*, quod hic negat autor Refutationis, idem est, ac diceret, quod *Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit.*

Illa autem verba, quæ ibi interserit: *Quas gratias in manu sua positas virtute liberi arbitrii irritas aut ratas efficiant*: satis intelligo ab Autore prodromo nequiter inserta, ad invidiam alteri sententiæ conflandam. Sed sciat autor prodromus, verba illa ita invidiose inserta duplicem sensum habere posse, alterum hæreticum & in pelagianis & semipelagianis condemnatum, qui excludentes necessitatem gratiæ, *in manu sua*, sine ulla gratia supernaturali, explicabant, & *virtutem* naturalem *liberi arbitrii* nudi, & sine ullo gratiæ prævenientis adjutorio, superbè efferebant; alterum autem sensum catholicum, quem nos defendimus; nam & illud sciat, nos cum hæreticis gratiæ inimicis nihil commune habere, neque virtutem aut vires naturales liberi arbitrii, nullâ gratiâ præventi & adjuti, nos velle extollere. Libertati autem humanæ, gratiâ supernaturali præventæ, & adjutæ sciat nos nihilo plus concedere, quam dif[i]nivit Synodus tridentina, & docuit magnus divinæ gratiæ assertor Augustinus enarrat: in ps. 202. *Omnipotenti medico nullus languor insanabilis... tantum tu curari te sine, manus ejus ne repellas... Sanabit te, opus est, ut sanari velis: Sanat ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tanquam IN MANU TUA vitam* (notet Autor prodromus: *IN MANU TUA*) sic *HABEAS IN VOLUNTATE* (notet etiam *HABEAS IN VOLUNTATE*) *sanitatem tuam* ita hic Augustinus, & centum aliis locis, quæ ad manum sunt, sed brevitati studeo. Tridentinum verò sess. 6 cap. 5. declarat hominem *eidem* (hoc est *excitanti & adjuvanti gratiæ libere assentiri & cooperari .... quippe qui illam & abjicere potest.* Et can. 4. *Se quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet,*

paret, neque posse dissentire, si velit, &c. anathema sit.

Alter locus quo clarè & in terminis docet, *Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse*, habetur pag: 16. En ipsius verba: *patet igitur* inquit, *ex hac solidissima D. Thomæ doctrina, Christum absoluta voluntate seu voluntate rationis, PRO NON ALIORUM SALUTE aut orasse aut mortuum esse, aut lytrum sui sanguinis obtulisse, quam EORUM DUMTAXAT, quos Pater suus illi dederat, quos oves suas in Evangelio nuncupat, & è quibus nullum perdi aut perire divino testimonio asseverat.* Vides illum plane idem dicere quod dicit ille sensus propositionis quintæ Jansenianæ, quem Pontifices impietatis ac blasphemiæ, imò & hæreseos condemnant? neque aliud esse discrimen, quam autorem hunc, multis amplificare verbis, hoc est magis id & fortius inculcare, quod damnatus sensus propositionis quintæ brevius & simplicius dicit

D. Thomas, ex cujus verbis hoc suum damnatum dogma vellet deducere, explicari potest, & debet de voluntate secundâ seu *consequente*; & quam possumus etiam dicere *voluntatem executionis*; non de voluntate prima & antecedente.

De utraque hac voluntate clarè & nitidè D: Anselmus S. Augustino plane devotus: *duæ sunt*, inquit in cap. 6. Matth) *voluntates in Deo, una misericordiæ, quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, quâ omnes homines vult salvos fieri. QUOD TAMEN IN LIBERA EORUM VOLUNTATE POSITUM EST*, (notari iterum possunt hæc verba: *quod tamen in libera eorum voluntate positum est*, confirmant, quæ superius ex trident, & S. Augustino docuimus) *est & alia, quæ est de effectibus* (seu executione) *rerum, de qua dicitur, omnia quæcumque voluit fecit; huic nemo potest resistere, de qua dicitur, voluntati ejus quis resistet? Hæc* (voluntas executionis) *providentiæ concordat semper; alia verò* (voluntas misericordiæ) *non semper; si enim velit per misericordiam, de aliquo pravo, quod sit justus, & conferat ei gratiam suam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei consentiat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ; quia, quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen scit non consensurum* Hactenus S. Anselmus.

At quamvis D. Thomas ita possit ac debeat explicari de voluntate, *consequente*, seu *executionis*, non tamen autor prodromus, au ejus verba ita explicari possunt: non quod ego personarum acceptor sim,

 alteri

alteri benignus, alteri durus interpres; sed quod nec ipse autor refutationis prætendere possit, aut velle etiam, ut ita verba sua ego explicem: nam si nihil aliud velit cùm illo loco, tùm reliquo suo libello, quam Deum reipsa & executivè *solos prædestinatos* salvos velle *voluntate executionis*, & Christum *solos prædestinatos* redimere voluisse *voluntate executionis* (quod aliud non est, nec aliud Theologis significat quam Deum reipsa & executivè *solos prædestinatos* salvos velle (& idem respectivè dicendum de voluntate consequente redemptoris) jam neminem habet adversarium; sed aërem verberat ridiculus gladiator: nam & ipsi illi Theologi, quos Molinistas vocat, & ipsum *Breve memoriale*, quod tamen impugnat, dicunt & docent, quod Deus salutem *dumtaxat prædestinatorum* ipsâ executione velit, sive quod *prædestinatos dumtaxat* salvet: Et idem est de redemptione Christi.

Sed & Innocentius X. & Alexander VII. non tam rudes erant & inepti Jesu Christi vicarii, ut negare vellent *prædestinatos dumtaxat* reipsâ, & ipsa executione salvari, & redemptos esse, dum hæresim esse declarant, *Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse.*

Vellet fortasse evadere autor prodromus per has particulas *voluntate absoluta*, seu *voluntate rationis*, quas subdolè rursus inseruit, ut fucum faciat: nam per illam voluntatem absolutam aut intelligit *voluntatem antecedentem*, & tunc non evadit vim Syllogismi mei; aut intelligit *voluntatem consequentem*, quæ significatio his vocibus naturalibus subest; sed tunc cum hoste imaginario & contra umbras pugnat; nam ita ego breviter; aut non agit contra *breve memoriale hollandicum* infoelix hæc refutatio (& quomodo, aut quo sensu *Refutatio* tunc erit, si non contra agat?) aut si agit contra Memoriale, ut revera se dicit agere, explicari non potest de voluntate *consequente*, seu executionis. Nam quo ad illam *secundam* voluntatem, habet omnes universim Theologos etiam Molinistas, etiam authorem *Brevis Memorialis* sibi consentientes. Restat igitur ut de voluntate primâ & antecedente, quam S. Anselmus mox vocabat *Voluntatem misericordiæ*, explicari hæc authoris prodromi verba & intelligi debeant, *Christum PRO NON ALIORUM salute mortuum esse quam EORUM DUMTAXAT, quos oves suas in evangelio nuncupat, & è quibus nullum perdi aut per re divino testimonio asseverat.* Et ita probavi manifeste autorem prodomum docere, quod Christus

ſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, quæ eſt prima pars ſubſumpti.

Probatur nunc pars altera ejusdem ſubſumpti, quâ affirmatur; illud etiam ab homine noſtro cum quinta damnata propoſitione ſuſtineri; quod *Semipelagianum ſit dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.* Atque hæc quidem pars probari brevius poterit, propterea quod nullis gloſſis interſecanda ſint ejus verba, ita clara & palpabilia ſunt. Videamus; pag. 5. cum dixiſſet, prætenſos Janſenianos Hollandiæ accuſari a *Memoriali*, quod negarent, *Deum velle omnes homines ſalvos*: item quod negarent, *Chriſtum pro ſalute omnium omnino hominum mortuum*, ita immediate poſt exclamat, *hæc nimirum non aliud ſunt quam Cocciſmi putidi, quos PELAGIANA & SEMIPELAGIANA phalanx adverſus Auguſtini & Eccleſiæ doctrinam olim indeſinenter cecinit.* Vides idem dicere quod dicit damnata propoſitio, niſi quod hæc modeſtius de *ſemipelagianiſmo* tantum, accuſet; ipſe & *ſemipelagianiſmi* ſimul & *pelagianiſmi* Et rurſum de eadem objectione pag. 6. En *ſagittam* inquit, *pelagianam*. Sed nusquam planius quam pag. 14. in fine, & initio pag. 15. ubi ad eandem illam ſeu objectionem ſeu accuſationem, quod ſecundum Janſeniſmi Hollandici placita, Chriſtus non eſſet mortuus pro omnibus omnino hominibus, ſic non ſine bile reſpondet: *obmurmurationem iſtam viciſſim è PELAGIANIZANTIUM ARMAMENTARIO depromptam fuiſſe ſuperius vidimus, ſicut & certè cætera prorſus omnia, quæ circa hanc rem moderni libertatis inflatores in Auguſtini diſcipulos ac ſectatores congerunt, ita ut SEMIPELAGIANUS ILLE SPIRITUS in Molinianos noſtros, velut Pythagoricâ quadam tranſmigratione videatur refuſus.*

Verba hæc quam aliena ſunt ab amore & charitate, quam tamen amoroſæ ſuæ ſectæ teſſeram faciunt, tam plane, ut patet, affinia, imo eadem ſunt cum propoſitione damnata, *ſemipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.*

Liceat ergo nunc mihi bonâ omnium veniâ ex majore evidenti, & minore pro utaque ſua parte invicte probata, iterato concludere. Ergo autor Refutationis prodromæ reus eſt quintæ propoſitionis janſenianæ, etiam in eo ſenſu, in quo a duobus Chriſti Vicariis infallibili judicio *impia*, *blaſphema*, & *hæretica declaratur & uti talis damnatur.*

 Liceat

Liceat ulterius inferre, ergo *Refutationis autor*, *accusatos in Memoriali non defendit, sed se accusat ipsum & condemnat*, qui fuit hujus §. 3. titulus.

§. 4.

REFUTATIO PRODROMA

ex hoc eodem

SYLLOGISMO

tota corruit.

Nunc & illud videamus uno hoc unico & eodem Syllogismo totam, quanta quanta est, corruere *Refutationem Prodromam*; nam hoc est alterum quod initio demonstrandum susceperam, & ita breviter tribus verbis conficio. Refutatio hæc prodroma tota quanta est duo agit. 1. versatur in probanda hâc *falsa*, *impia* & *hæretica* propositione.

2. Non aliunde fere probare nititur, quam ex malè intellecta farragine sententiarum SS. Patrum Augustini Prosperi, &c.

Sed 1. *falsitas*, *impietas*, & *hæresis* nullâ verâ ratione umquam probari possunt.

Sed & 2. quam falsum est, SS. Patres Augustinum, Prosperum, *falsitatem*, *impietatem*, & *hæresin* docuisse, tam quoque falsum est, SS. Patres Augustinum, Prosperum &c ea docuisse, quæ illos docuisse dicit *Refutatio Prodroma*; ergo tota corruit.

§. 5.

Consectaria quædam.

Sequitur 1. *Breve Memoriale* a *Refutatione* hac *prodroma* multum confirmari, quatenus ejus author se prodit esse Jansenianum & reliquos omnes, quos secum plures habet consentientes, ut adeo urbi & orbi palam fiat, Jansenismum non esse inane & imaginarium phantasma.

Sequi-

Sequitur 2. Refutationem hanc maxime injuriosam esse SS. Augustino & Prospero &c. quos velint nolint per malam vim facit, & veluti cogit docere ea, quæ deinde ab infallibili apostolicæ sedis sententia declarata sunt falsa esse, impia, blasphema & hæretica, & ut talia damnata sunt.

Sequitur 3. *Breve Memoriale* quod impugnat Autor *Refutationis*, uti & Theologos illos, quos Molinistas vocat, quos ut tales caritas ejus odit, cum doceant Christum non pro salute *dumtaxat prædestinatorum*, sed pro salute *omnium omnino hominum* mortuum esse & sanguinem fudisse, non loqui nec sentire cum semipelagianis, sed loqui & sentire cum Romanis pontificibus, & vere & pie & catholice docere.

Sequitur 4. Infelicem plane operam impendisse, imo perdidisse Autorem *Refutationis Prodromæ* in libello illo suo male ominato, ut qui omni suo labore nihil effecerit aliud, quam prodere se Jansenianum, & se reum facere quintæ Jansenianæ damnatæ: Adversarios autem suos ostendere Catholicos & Pontificibus consentientes & per summam denique injuriam turpem atque infamem damnatæ propositionis & hæreseos labem SS. Patribus Augustino, Prospero &c. velle affricare.

Pertinens ad quintam famosam propositionem, & subjectam ei observationem primam.

Præscindebam ibi tantisper an propositio ista quinta, & damnatus ejus sensus haberetur in libro Cornelii Jansenii; juvat nunc videre quam verum sit quod Alexander VII in bulla *ad sacram* definivit & declaravit propositionem illam ex ejus *libro exerptam, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatam fuisse.*

Jansenius l. 3 de græt. Chri cap. 21 col. 386. *NEC enim .. pro OMNIBUS OMNINO Christus passus aut mortuus est, aut pro OMNIBUS OMNINO tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potius TAMQUAM ERROREM A FIDE CATHOLICA ABHORENTEM doceant esse respuendum.*

Idem ibidem: &c: & eadem col: *Pro primi generis hominibus (prædestinatis, electis, salvandis* ut ante loquitur) *tamquam veris ovibus suis semet ipsum dedit ac tradidit .. pro istis in æternum vivificandis mortuus est ... NON PRO CÆTERIS, qui a fide & caritate deficientes in iniquitate moriuntur.*

Idem, ibid: col: 390. *Nullo modo principiis ejus* (Augustini) *con-*

sentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, patrem orasse sentiatur.

Et paulo post: *Ex quo factum, ut juxta sanctissimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum* (reproborum) *quam pro diaboli deprecatus fuerit.*

Hæc Jansenius; unde patet quam verum sit, quod Jesu Christi vicarius declaravit, propositionem hanc excerptam esse ex libro Cornelii Jansenii. Sed & illud patet, auctorem prodromum Jansenio affiniorem esse, quam pontificibus.

Pertinens ad apostolicam duorum Pontificum contra hanc propositionem Censuram.

D. Thomas 22. qu: 11. a. 2. ad. 3. *contra cujus* (pontificis) *autoritatem nec Hieronymus nec Augustinus nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit.* Unde, si casu aliquo infeliciter accideret, ut ex SS. Patribus aliquis docere videretur, aut etiam clarè re ipsa doceret, quod summi deinde pontifices legitimâ Bullâ definientes declararent *Hæresim* esse, deberet in illo casu prævalere pontificum oraculum. Hinc merito àb Alexandro VIII damnata est hæc 30. propositio ex 31. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere & docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

Quæstio Curiosa.

Quæri hic potest, quomodo fieri potuerit, ut Autor *Refutationis prodromæ* nusquam mentionem fecerit hujus quintæ Jansenianæ, cum toto tamen fere libello agat de morte Christi: nam violentum est, velle nobis persuadere, id factum ex eo, quod hæc propositio scribenti non occurrerit. Restat igitur, ut prudenter judicemus sua ipsius conscientia hominem teneri, nec vidisse viam, quâ honestè posset elabi, si hanc propositionem sibi objecisset, quam non poterat nescire, cum sit toto orbe famosa & decantata; & quæ debebat necessariò scribillanti occur-